

129

127

133

123

138

118

178

078

228

028

Ende

Anfang

118

sidium habuimus, quod fundus lutosus fuit, si enim saxa habuisset, perdimi fuissemus. Laborabant ergo magno conatu nostri usque ad solis occubitum et ita toto illo die in anxietate stetimus et paene nihil manducavimus, quia sacci paximatium in profundo navis jacabant et omnes res desuper et nos compressi superius et sicut unusquisque in Roseto locum acceperat, ita mansit toto die ac nocte sequenti. Porro sex onerariae naves circumstabant nos, pro quarum remotione etiam magnus labor fuit spe procedendi; nam aliquae naves districtum illum evaserant et praecedebant et ideo similiter laborabant putantes, se noctem in quodam oppido super Nilum acturos, sed labor nautarum nostrorum et illarum VI navium in vanum et inanis fuit et tenebrae comprehendenterunt nos. Videntes autem nautae, se non posse proficere, ejecerunt anchoras, navesque stabiliverunt fortius, ut futuram diem ibi exspectaremus. De aliis autem navibus clamabant ad nostros nautas, interrogantes eos, quid ducerent? Et cum intellexissent, quod Christiani essemus, maledixerunt nobis aestimantes, se a Deo derelictos propter nostram praesentiam, et fremebant contra nos. Credo enim, si propinquiores eis fuissemus, multis contumeliis nos adfecissent. Stetimus ergo sic in mediis fluctibus in caliginosa nocte, nec recolo, nos in majori miseria fuisse per totam peregrinationem, demta nocte illa, quam habuimus 2. Octobris, quando aberravimus in vasta solitudine, ut habetur fol. 57. Felix fuisse ille, qui dormiendi et quiescendi locum habuisset ad illius longissimae noctis pellendum fastidium. Numquam recolo, me tam distinete notasse septem noctis tempora, sicut illa nocte. Videbatur enim mihi, quod in curru, quem antiqui ipsi dominae Nocti adscribabant, sederemus et septem rotis, hoc est, septem ejus temporibus, lente duceremur. Primum noctis tempus, quod dicitur crepusculum, propter dubium, cum nesciatur, an diei praeteritiae vel nocti venturae sit dandum, deduximus cum Sarracenis nostris, qui toto die laboraverant et jejunaverant, usque ad hoc tempus, qui comedebant et cantabant, non ex laetitia, sed ex consuetudine eorum. Quaesivimus ergo paximatios et etiam manducavimus paucillum et aquam bibimus prius haustam de flumine. Secundum, cum jam omnino obscurum est tempus, dicitur fax, eo, quod tunc faces accenduntur; etiam cum nautis nostris deduximus cum parvo solatio in tenebris, (¶) sine facibus, sine igne, sed cum copio-

